

# Landesbibliothek Oldenburg

## Digitalisierung von Drucken

### **M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Libros III. de Officijs, Dialogus de Senectute, de Amicitia,  
Paradoxa, Somnium Scipionis, ex VI. lib. de Rep.

**Cicero, Marcus Tullius**

**Venetiis, 1583**

Clarissimo Viro Ioanni Donato

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770616](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770616)



CLARISSIMO . VIRO  
IOANNI . DONATO



ONVM omnes suspiciunt, laudant, atque etiam ad id adipiscendum natura impelluntur, IOANNES DONATE, amplissime. sed multos a uirtutis uia, quae ad verum bonum ducit, aberrantes, id, quod specie quidem bonum, re autem ipsa malum est, expetere satis constat. Multi rursus sunt, quos, ne male agant, poenae tantum metus deterret, eosq. tamen extra bonorum numerum collocandos, malosq. appellandos, sapienter cecinit Poeta. Neque meliores uidentur his, qui propter diuitias, honorem, dominationem, bene, non sponte quidem, sed uelut inuiti, agunt. Sed optimum illud, & caeleste, ac pae- ne diuinum hominum genus censendum est, qui, proposita impunitate mali, uel etiam praemio, nihil turpe, nihil indecorum, nihil umquam flagitiosum admitterent, nihil in religionem, fidem, remp. parentes, amicos, audendum esse existimarent. Quorum Tu in numerum, uir amplissime, non solum adsciscendus es, uerum omnium, quorum memoriam litterae nobis commendarunt, princeps censendus, solusq. inter optimos optimus, & inter praestantissimos quosque praestantissimus. sed ( id quod in maxima felicitatis parte numerandum est ) non alius de te sensus est hominum; neque ingrata est Ciuitas, & Respublica, quae, in Te tota conuersa, consilium, tamquam Pythij Apollinis ab Oraculo responsa, petit. Equidem M. Caronem Porciae gentis Principem tres summas in homine res praestitisse ferunt. fuisse enim optimum oratorem, optimum senatorem, optimum imperatorem. Quas omnes in Te esse summas, atque admirabiles, maximis, ac difficillimis suis temporibus, Veneta, omnium, quae a prima usque mundi origine fuerunt, nobilissima Resp. non semel experta fuit. Et, licet Tibi numquam militarem rem attingere, & bellicas tuas uirtutes simul cum aciebus ipsis explicare, & manum cum hoste conferere, contigerit, ( quod talis, & tanta Resp. talem, tantumq. uirum a se longius ablegandum numquam passa fuerit ) non tamen Tibi semel oblata est occasio, domi, atque in toga, quantum in hac militari laude posses, & sententia, & consilio, & quotidiano sermone, & in omni alia publica, priuataq. actione, declarandi. Huius igitur uiri memoriam, quem Tibi ex omni antiquitate licet multo in ferio- rem simillimum tamen & his, quas dixi, uirtutibus, & uitae instituto, & moribus fuisse, dicere saepe solitus sum, & mihi facile persuadeo, cum ego semper eximio quodam animi studio iam inde a puero coluerim, omniaq.

X † ipsius

ipsius dicta, ac facta, eaq. etiam, quae eius personae adscripta sunt diligen-  
ter obseruasse, & pleraque memoriae mandasse; uolui tandem Cicero-  
nis de Senectutis laudibus Dialogum, in quo loquentem ipsum facit, meis  
illustratum commentarijs, Tuoque amplissimo nomini commendatum, ty-  
pis mandare, ut & maximam studiorum, uitae, morumq. tecum cum Ca-  
tone similitudinem, & meam de uobis opinionem, Tuique singularem ob-  
seruantiam, & mirificam de litteratis uiris benemerendi uoluntatem simul  
testatam relinquerem. Vale. Venetijs,

Kal. Iun. CIO. IC XXCI.



*[The text in this block is extremely faint and appears to be bleed-through from the reverse side of the page. It is largely illegible.]*



PRAESTANTISSIMO VIRO,  
LAVRENTIO MASSAE,  
Reip. Venetae Secretario.



Eos in M. T. Ciceronis de Amicitia Dialogum Tibi nuncupo commentarios, mi LAVRENTI MASSA. Tibi, inquam, quem honestissimum, & ornatissimum uirum, tum propria, tum maiorum gloria, perillustrem, mihi arctissimo amicitiae uinculo adiungere tanta dignum laude duco, ut maiorem experere nequeam. si quidem ego, non tantum, honore, amplitudine, aut praepotentium opibus, (quae omnia simul in Te maxima sunt) quam animo uirtute praedito delectari soleo. qui (ut cum Cicerone nostro dicam) amare, aut redamare possit. qualem Tu medius fidius animum semper erga omnes, & me praesertim, quibuscumque licuit officiis, iisq. minime uulgaribus, ostendisti. Iuxta, Venerem Charites, iuxta Bacchum Aethiopes quondam Mercurium ueteres posuere. & Capitolino Ioui uicina fuit Fides, ut in Catonis oratione scriptum fuit. Tuae uero statuae, quae iam pridem tali uirtuti debetur, ad immortalitatis memoriam aliquis amicitiae typus adiungendus profecto esset, & omnis de amicitia sermo, omnis oratio, & disputatio ad Te merito pertinere debet, Tibiq. dicari. cum fortunas, animique uires pro amicis profundere, ita proprium Tibi sit, & peculiare, ut, quod numquam uulgare fuit, numquam permanuit ad multos, Tu uix Tibi patiare commune esse cum paucis. Quod si ego, pro mea tenuitate, pari erga Te officio, & obseruantia, uti non potui: Deum tamen immortalem testor, numquam mihi officiosissimam uoluntatem defuisse. Quae Tuis in primis, utaequum est, in me meritis, excitari, atque augeri solet, quoties eorum mihi uenit in mentem, recolo autem ea saepissime: nihiloq. minus uetustissimam, & praeclarissimam Massonum familiam complector animo, ex qua dein Massae cognominantur, quae postquam omnem suam gloriam in Te, LAVRENTI nobilissime, transtulit, & illustrior facta est, & gloriosior. Etenim Nicolaus ille, Boccaccii testimonio celebris, & alter eius cognominis, uterque singulari medicae facultatis laude clarissimus, Tibi merito cedunt. itemq. tres illi nihilominus illustres eiusdem item nominis, uirtutisq. Antonii, quorum primus, Theologus clarissimus ordinis minorum, pro Nicolao V. Nuncii Constantinopolitani munere functus est. Secundus uero Antonius Massa Gallaesus, iuris, legumq. scientia adeo clarus, ut nulli suae memoriae in eo genere praestanti uiro secundus foret. Tertius denique doctissimus ille, pater Apollonii, adhuc superstitis, qui tantum, atque tam praeclaram inter medicos laudem consecutus est, nihil ut ad eam accedere posse uideatur. Hi, inquam, omnes Tibi merito cedant, qui tantam iis reddis gloriam solus, quantam a tot uiris illustribus acceperis. Te enim non temere Secretarium Resp. Veneta complectitur, filium amat, consultorem alloquitur, in Te fidem laudat, amorem commendat, sapientiam admiratur, Te quoque cuiuscumque ordinis homines suspiciunt, Tuamq. immensam uirtutem, & comitatem, quam uel ex ipso adpectu, & corporis habitu contemplari licet, diligentissime colunt. Me studiorum paritas, uirtutis amor, communisq. animorum ardor, quo Critonium nostrum, di-

Cc † uinum